

73. 748 }  
Q. F. F. Q. V. E. S. S. T.

Ἐ τῶ τῆ θεῶ ὑψίστ ὀνόματι,

DISSERTATIO PHYSICA,

DE

GLORIA BRU-  
TORUM,

SIVE

SENSIBUS INTERNIS,

Quam

*Ex suffragio & adprobatione Ampl. FAC. PHIL.*

*In inelyto & Regio ad Auram Athenaeo:*

SUB PRÆSIDIO

*Viri Clarissimi*

DN. M. PETRI HAHN

Scientiæ Natur. Prof. celeberrimi,

nec non ejusdem Universitatis Biblio-  
thecarii solertissimi,

*Publico honorum, Eruditorumque Examine  
modeste committit*

JACOB ROSENDAHL. P.F.

SUDERM: SVEC.

Ad diem 19. Decembris Anni 1691,

*In Aeroaterio Maj. horis Antem.*

---

Exc. apud JOH. WALLIUM.

IN CHRISTO

REVERENDISSIMO PATRI AC DOMINO,

DN. O L A O  
SVEBELIO,

S. S. THEOLOGICÆ DOCTORI  
CELEBERRIMO,

REGNI SVETICÆ ARCHIEPISCOPO  
AMPLISSIMO,

ACADEMIÆ UPSALIENSIS PRO  
CANCELLARIO EMINENTIS-  
SIMO,

UT ET

CONSISTORII IBIDEM ECCLE-  
SIASTICI PRÆSIDI GRA-  
VISSIMO,

PATRONO SUO MAGNO.

In devotissimi officii

Tesseram D. D. D.

JACOB. Rosendahl.



Q. F. F. Q. I. D. O. M.

PROOEMIUM.

**P**ercrem Natura & Mundi Domi-  
num, omnium animantium per-  
fectissimum, Jure Deus, ut  
de cunctis rebus, quæ in universo sunt, judici-  
um ijs consentaneum, ferret, singulis facultat-  
um cognoscentium gradibus munivit, earum  
nimirum, principio, medio & fine: Externi  
enim sensus (ut Piccolominei verbis utar) prin-  
cipium nostræ cognitionis constituunt, inter-  
ni medium adhibent, mens deniq; finem.  
Externi sensus tanquam primi explo-  
ratores, ea, quæ primo perceperunt, offerunt  
internis, interni ea indicant menti. Tenuis &  
adumbrata satis est cognitio externorum sen-  
suum, exactior ea internorum, exactissima illa  
mentis. Externi in imaginibus & rerum um-  
bris versantur, interni intimiora considerant,  
mens ne dum intima sed etiam rerum cau-  
sas scrutatur & quærit. Absoluta hæc judi-  
cantium facultatum perfectio soli homini &

non brntis cessit. Horum igitur omnium in-  
quisitio, cum non nobilitate solum, sed diffi-  
cultate etiam sua sese commendat, operæ pre-  
tium me facturum credidi, si necessarium hunc  
laborem huic ipsi argumento ingenij excolendi  
causa impenderem Verum universam fa-  
cultatum cognoscentium considerationem in-  
immensum exituram, facilis erat conjectura;  
consultius propterea visum est mihi saltem u-  
num gradum eligere ( qui est de sensibus in-  
ternis ) atq; illum publicè submittere disquisi-  
tioni, hac metodo observata, ut primo aliquot  
thesibus naturam in genere & deinde in specie  
adumbrem; non ut tumida eloquentiæ vela  
(longe alius mihi jam animus est) expande-  
rum, memor Sallustiani illius: Satius esse pau-  
ca dicere, quam multa silentio preterire. Ita  
que existiment me non vanæ gloriolæ aucupio  
adductum, hoc publicum tentare vadum, cuius  
rei veniam mihi non facile denegatum iri  
confido, siquidem tempus huic materiæ no-  
bilissimæ haud suppetiit. Si qui autem Scioli hos  
meos conatus deridere satagunt, sciant, opero-  
sam mihi gloriam esse displicere malis: itaq;

Da facilem curiam DEUS atque his annue  
ceptus!

## THESIS I.

Proposituri naturam sensuum internorum, statim cur sensus & cur interni nuncupentur, consideratione, quæ a nostro instituto non est aliena, censemus aperire: Sensus enim dicuntur, quoniam circa sensibilia, quæ & singularia & materiata sunt, versantur, inque judicando instrumento aliquo corporeo utuntur: vel ut Celeb: Sperlingius definit in sua Zoologia. cap. 4. De Sensu; hoc pacto: *Sensus est facultas, quæ animal certo corporis organo objectum sensibile per species recipit ac dijudicat.* Interni vero, quia intra Cranium consistentes operationem sentiendi exequuntur. Hos omnes & singulos cunctis animalibus tribuimus, quia nullum dari potest animal, non præditum appetitu & facultate locomotiva, quæ duo præsupponunt sensus internos omnes & singulos, inæquali tamen gradu; non tamen negamus in aliis eos esse animantibus perfectiores in aliis autem imperfectiores.

## THESIS II.

**D**efinitio horum talis esse potest: *Sensus internus est facultas animae sensitiva, in interiori corporis parte magis residens, ibique species rerum sensibilium, non solum, praesentes, sed etiam absentes percipiens, perfectius apprehendens, censens, dyudicans, & diutius conservans.*

## THESIS III.

**D**efinitio ipsum genus & differentiam includit. *illud* facultatem statuimus, *haec* ex organo, objecto & officio elucescit. De sede & organo maxima movetur controversia, omnes enim de jis non consentiunt; Aristoteles eos in corde residere voluit lib. 3. de anim. C. 4. & in libro de somno c. 2. Plato, Galenus & medici omnes horum sedem esse cerebrum asserunt, hanc opinionem & nos, quoniam firmioribus nititur rationibus, amplectimur; omnes enim nervi originem a cerebro ducunt, quo laeso laeditur, vel perit ipse sensus.

## THESIS IV.

Objectum est enim vel commune singularibus facultatibus, vel proprium singularum. *Illud* adhuc est duplex, *vel* enim est species, seu imago rerum quarumlibet, sive existentium, sive non existentium, *vel* moventium, quæ est singularium sensibilibus propriorum & communium sive presentium sive absentium; & *ex his*, ipsius sensus communis est tantum species presentium, phantasiæ vero tam presentium quam absentium, memoriæ autem & presentium & preteritorum, per quæ has distinctas rationes contrahitur objectum commune & redditur proprium singularum facultatum; habent enim idem objectum materiale, non autem formale. Officium est, hæcce objecta percipere, perfectius apprehendere, censere & diutius servare. Unde præstantiores multo sunt externis. Longe enim præstantius est res non solum presentes sed etiam absentes percipere, atque non tantum secundum unum objectum occupari, verum o-

omnia exteriorum sensuum objecta apprehendere & dijudicare. Externi enim singuli res solum præsentis percipiunt, & circa unum tantum objectum versantur, interni autem singuli etiam absentes & omnia exteriorum objecta apprehendunt & discernunt, quod liquet, ubi visus colorem duntaxat, ejusque differentias percipit, auditus sonorum. At sonorum & colorum dissimilitudines, non visus vel auditus, sed interior sensus cognoscit.

THESIS V.

**M**ira cum in sensibus internis numerandis varietas offeratur, eorum numerum ita investigabimus, ut *primo* aliorum præcipuas opiniones recensamus, *deinde* eam, quæ nobis probabilior videtur, apponamus. Sunt enim nonnulli, qui unum sufficere autumant, verum iis assentire non possumus, cum nobis non sit sermo de essentia animæ & de potentiis pro fundamento & absolute consideratis, sed de propria earum



earum ratione & formaliter, prout sunt principia proxima, distinctarum actionum; Plures enim esse *primo* probat motio phantasiæ ab ipso sensu communi facta: movens namque & motum, non recte (juxta Aristot.) sumuntur pro eadem facultate. *Deinde* per somnum ipsius sensus communis à sui muneris functione cessatio & phantasiæ tunc operatio, deprehenditur. Cum apparuerit non esse satis statuere unicum sensum internū, propterea nonnulli duos asserunt, qui enim inter se dissentiunt: quidam enim volunt, eos duos esse, communem sensum, ad quem redigunt phantasiam, & facultatem cogitandi, cum qua nesciunt memoriam, alii autem facultatem judicandi & conservandi affirmant. Horum neque prior neque posterior vera est opinio, *illa*, quia facultas cogitandi non recte refertur ad animam sensitivam, sed ad rationalem; male etiam redigitur sensus communis ad phantasiam, cum hæc & organa & objecta & officia distincta habeat: *hec*, cum ob

eandem causam, tum etiam aliam, quia sensus communis est tanquam centrum externorum sensuum, idcirco magis nescitur cum his, quam cum phantasia. idem voluit etiam Arist: lib. 2. de anima, ubi colligit se egisse de sensu, cum egisset de sensu communi, & ad phantasiæ explicationem tanquam distinctæ, se transfert. Neq; Averrhois vel aliorum, præter sensum communem, Phantasiam & memoriam, æstimatoricem & cogitativam, ponentium sententiam amplecti possumus; *illam* enim brutis tribuunt: dum nimirum ovis lupum, quem sensu non cognovit, fugit, *hanc* in homine affirmandi & negandi vim habere volunt. Sed suffice-re ad res sensiles concipiendas solam Phantasiam, & aliam quærere, supervacaneum esse, putamus. Inimicitiam enim illam quorundam animalium ab instinctu naturali oriri arbitramur. Cogitativam autem non esse à sensibus, sed à rationalis animæ facultate, dicimus cum ipso Zabarellâ de facultatib; animæ.

Multo

multo minus iis, qui adhuc plures addunt. fidem adhibemus, sed ab illorum opinione, tanquam minus vero consentanea recedimus, & in illorum castra, qui partim duos, partim tres sufficere statuunt; duos judicantes, tertium servantem, hoc fundamento ducti, descendimus; nimirum: quoniam sensus internus est *concupiens* vel *conservans*. *Concupiens* est vel in discernendo, ut est sensus communis, qui variorum objectorum species suscipit; & à se invicem discernit, vel in plenius æstimando, ut est Phantasia, quæ imagines per sensum communem oblatas componit, dividit ac judicat: exactum enim iudicium & omnino plenarium non sensibus internis, sed facultati superiori contingit. *Conservans* est memoria, quæ imagines retinet, & quando opus est, reddit.

#### THESIS VI.

**A**bsoluta (breviter tamen) generali sensuum internorum naturâ, ad specialem explicationem, ut pergamus, institui-

stituti ratio mōnet, quam commode à sensu communi auspicamur, & merito, approbante philosopho, quæstioni *quid sit?* quæstionem *an sit?* præponimus. Sensum enim Communem omnino dari, notitia differentiæ variorum objectorum, quæ animali cuilibet competit, facile evincit: discernit enim colorem à sono, sonum ab odore, odorem à sapore, saporem à calido, calidum à nigro &c. quæ omnia certissima sunt indicia hujus sensus, cum quilibet sensus externus tantum suum objectum percipiat.

### THESIS VII.

**S**ensus communis non ideo dicitur, quod circa sensilia communia versetur (hoc idem etiam sensus externi & particulares faciunt) sed quia censet & judicat omnium externorum sensuum objecta, quo nomine etiam alias dicitur *αιθησις αιθησεως* sensus sensuum.

## THESSI VIII.

DEFINITUR quod sit sensus internus, omnium externorum sensuum species, illis mediantibus, apprehendens, a se invicem discernens, & cognoscens objecta singulorum sensuum.

## THESIS IX.

GENUS est sensus internus. Differentia autem & objectum & officia complectitur; *illud* est quævis rei cujusvis ab exterioribus percepta species. Hæc, quoniam in universo nihil frustra nihilque ociosum esse comperimus, ideo nullum animæ gradum, nullamque facultatem, cujus non sit propria muneris functio, propriumque officium, invenimus, sequentia propterea præcipua esse putamus, ut nimirum, *Primo* omnium sensuum externorum objecta, mediis sensibus exterioribus percipiat. *Secundo* cognoscat & percipiat nos sentire. *Tertio* differentiam inter diversorum sensuum objecta cognoscat. *Quarto* privationes propriorum sensibilium apprehendat & dijudicet, ut te-

ne-

nebras & silentium &c. *Quinto* moveat phantasiam eiqve species sensiles offerat. Hinc non incommode ab Arist: (quum sit quasi interstitium quoddam externorū sensuum & internorum) centro circuli comparatur. Ut enim lineæ ductæ à circumferentia circuli in centro concurrunt: ita omnes sensus exteriores, eorumque objecta in hoc sensu conveniunt, ibique perfectior fit operatio sensitivæ potentiæ.

*THESIS X.*

**M**agna etiam dissensione certatur de sede hujus sensus: & quanquam hic definire aliquid, difficile, omnino fatendum sit, ut in aliis rebus plurimis; ita & hic, ut Scal. exercit: 307. Sect. 21. habet. Nos sicut vulpem elusam à ciconia lambere vitreum vas, pulteri non attingere: tamen probabile videtur, sensum communem in anteriori parte cerebri sedem habere; cum in hac parte omnes sensus externi, quorum ille, quasi centrum est, concurrant. Hinc ceteros  
etiam

13  
etiam sensus sedibus sejungendos esse  
putamus: cum nonnulli valeant memo-  
ria, non autem virtute imaginandi, non-  
nulli contra: læditur sæpe etiam memo-  
ria, non autem phantasia: *huic* propter  
ea in parte **medii cerebri**, *illi* in postero-  
ri sedem tribuimus: memorix enim hæc  
pars, phantasiæ vero illa aptior videtur.

### THESIS XI.

**P**eracta quam brevissima hujus sensus  
declaratione, ad sequentis phantasiæ  
scilicet considerationem viam præpa-  
ramus, in qua, ut in priori, a quæstione  
*An sit* ordiemur. Quam hunc in modum  
probatam volumus; quia necessario ab  
animantibus perfectis requiritur, ut res  
non solum præsentis apprehendant, sed  
etiam amplius eas non præsentis dili-  
gentius ut perpendant, unde fuga earum  
vel appetentia sequitur, phantasiam esse  
affirmamus. Vox Phantasiæ, est vocabulū  
Græcum, varias sustinens significatio-  
nes: quarum *Prima* est, quum imagines  
rerum

rerum absentium ita repræsentantur animo, ut eas cernere oculis, ac præsentibus habere videamur: *Secundo* significat species, *Tertio* imaginationem, *quarto* ostentationem *Quinto* rationis depravationem ex his antepenultima est hujus loci. Phantasiam itaque definimus, quod sit sensus internus, imagines rerum a sensu communi acceptas & dijudicatas diligentius examinans, diutius retinens, & ex his alias eliciens. Scarf: special: Part: Phys: lib. 7. Cap. 2.

## THESIS XII.

**H**ic indigitato genere, quod est sensus internus, differentiam objecto & officii absolvi videmus. Objectum sunt sensilia a sensu communi communicata, vel etiam imagines, quas sua vi, ex quavis interna causa sibi effingit & efformat. Quotiescunq; officia secundum merita singulorum distribuuntur, cuncta inspiciuntur congruenter disposita: hoc cum administrator universi, cujus



cujus cura & providentiâ totus hic mundus regitur, semper observat, idcirco facultatibus præstantioribus præstantiora officia tribuerat. Hinc Phantasiæ inter organicas facultates nobilissimæ, officia quoque præstantissima sunt delegata, ea autem præcipua sunt hæc sequentia: quorum *unum* est, species a sensu communi confusè oblatas diutius servare: *alterum*, easdem rerum imagines exactius ponderare, judicare atque discernere: *tertium* efficere ex objectis sensibilibus alias species, unde sequitur, quod phantasia primum ab objecto externo moveri debeat, quoniam nihil possumus imaginari, quod non prius sensu externo, vel secundum totum, vel ad minimum, secundum partes percepimus.

THESIS XIII.

**M**inus recte docent ii, inter quos Piccolomineus de sensibus internis Cap: II. qui nobiles admodum & admirabiles operationes quorundam brutorum

torū ad phantasiā refert, quæ cū a diversis eduntur diversæ ( hirundo e. format nidum, aranea ducit retia, apis format favum, eqvus & camelus fiunt dociles, Scal: exercit. 209. Sect: 1. 2. Lupus potest cicurari, ut habitet cum ovibus, lepores ut itidem alantur inter venaticos Scal: exercit. 138. &c.) formæ cujusq; bruti adscribendæ sunt, quâ ab omnibus aliis diversæ specie distinguitur, respondentī animæ hominis rationali, *hæc* enim, brutum cum non sit homo, destituitur: *Illæ* prout in aliis est nobilior, in aliis ignobilior ( vulpes enim sue, bove, asino, apis musca, ingeniosior astutiorque est) operationes suas exercet, confer Sennert: lib: 7. nat: scientiæ cap: 7.

#### THESIS XIV.

**E**nodata paucis positionibus sensus communis & phantasiæ natura, breviter etiam de memoria agemus, initium a quæstione *an sit faci-*

faciendo. Eam autem dari manifestum est, cum phantasia sine cognitione recipere species non potest: plura simul agnosci non possunt, ideo opus est facultate, quæ ipsa non cognoscit, cognitioni tamen inservit, id est quæ plures species sensibiles a phantasia cognitæ, simul recipit & reservat atque eidem eas, cum opus sit, rursus suggerit & exhibet. Sennert lib: 7. nat: scen: c. 7.

THESIS XV.

Memoria itaque est famula phantasiæ: quæ imagines seu species rerum sensibilium & præteritarum ad se a sensibus delatas retinet, custodit & diu constanterque conservat, ut eas, exigente necessitate, exhibeat. Hujus genus supra patet, differentiam vero objecta & officia constituunt: *illud* sunt res præteritæ; memoria enim conservat ea, quæ sunt delata a phantasia Scal: exercit: 307. sect: 2. Neque eodem tempore possunt species memoriæ demandari, ut ab ea conser-

ventur, & eodem momento promi ab eadem ad cognitionem. Est tamen memoria quoque præsentium insensibiliter, ut Dei præsentissimi, Conf. 2. Tim. 2. 8. Exod. 20. 24. librorum aliarumq; rerum sub nocte obscura in museo species quum non ulro recurrat, absens repeti potest. Rerum vero sensibilibus præsentium, ob specierum præsentiam; actu in sensus incurrentium eosque moventium, proprie recordari non dicimur: ἀνάμνησις enim est opera intellectus recolentis species. Scal: Exc. 307. Sect: 28. quarum repetitione hic non est opus, quum species sistatur præsens & phantasiæ offeratur, officium *primum* & præcipuum est, recipere & reservare phantasmata, sive species rerum sub sensum cadentium, idque diutius quam facit Phantasia. *Secundum* est: Proxime famulari phantasiæ: adeo ut ob eam phantasia in absentibus versetur, & in somno vires suas patefaciat.

## THESIS XVI.

De modo, quo actus memoriandi (sit  
 venia dicto) fit, magna est controver-  
 sia, vulgo quidē statuunt, senib<sup>9</sup> memoriæ  
 difficultatem, propter humidi nativi de-  
 ficientiam, evenire, neq<sup>3</sup> enim in eo, quod  
 admodum siccum aliquid inprimi po-  
 test: pueris vero propter humiditatis  
 abundantiam; humido enim inpressa  
 imago, ut aquæ, facile perimitur &  
 proinde eos, qui sunt ingeniosi, non ha-  
 bere præcellentem memoriam arbi-  
 trantur, eo, quod hæc siccitatem ali-  
 quam, ingenium autem aliqualem hu-  
 miditatem, desiderat; nec facile, sed ra-  
 rissime memoriam cum ingenio bono  
 conjunctam reperiri. Verum cum hæ-  
 reamus hic in tenebris naturæ univer-  
 so generi humano communibus, con-  
 sultius videtur ἐπιπέσει, quam aliquid  
 certi statuere, examinatis iis, quæ habet  
 Scal: exercit: 307. Sect: 28. cur autem  
 cerebrum siccius ad memoriã sit ap-  
 tius, vide novam Scal: rationem loc:

cit: Facultatis memorandi duo sunt  
 actus: unus dicitur *Memoria* alter *Remi-  
 niscentia*. Illa definitur rei antea cognitæ,  
 ut cognita est, iterata apprehensio. *Hæc*  
 vero est, ex unius vel plurium rerum,  
 in memoria asservatarum, in alterius,  
 quæ non promptè occurrit, recordatio-  
 nem regredi. Plura itaque requirun-  
 tur ad hanc, quam ad illam: Memoria  
 etiam brutis est communis, reminiscen-  
 tia non item. Ad Memoriam enim sa-  
 tis est, ut rem eodem modo, quo eam  
 percepimus, rursus apprehendamus:  
 ad reminiscentiã requiritur antecedens  
 oblivio, cum notitia iteratâ alicujus rei,  
 quæ non exciderat, & ex quâ ad ejus,  
 quam requirimus notionem consecu-  
 tione quadam & discursu provehimur.  
 Arist: lib: de memoria & reminiscen-  
 tia. Cap. 2 Remedia, quibus memoria ju-  
 vatur, hæcce quatuor præcipua inveni-  
 mus: quorum *primum* est bono ordine  
 digerere memoriæ commendanda, *se-  
 cundum* attente meditari, sæpiusque ea-  
 dem

dem repetere. *Tertium* effectu quodam peculiari lætitiæ, aut doloris in rem memorandam ferri. *quartum*, crebro repetere memoriæ quælibet infixæ. hisce enim observatis, memoria fidelis atq; tenax eorum, quæ addiscimus, redditur. Quod autem ingeniosioribus non tam firma sit, quam ingenio tardioribus, inde accidit, quod illi freti ingenio minus animum in aliquod intendunt, hi vero tarditatis suæ conscii, plus attendunt.

### THESIS XVII.

**C**orondis loco etiam notandum venit: quod nocturna studia itemque lectiones ac meditationes post cibum sumptum valde noceant memoriæ, Phantasiæ totique cerebro. Spiritus enim nocturna fatigatione resolvuntur & turbantur, itemque sub noctem condensantur. Post cibum vero sumptum, si aliquid meditari velimus, evocatur calor e ventriculo, & cum calore halitus crudi & crassi, qui cere-  
brum

brum confuscant & corrumpunt, experientia & veritate teste. Plura quidem in hac intricata materia dicenda essent, sed præsentia pro ratione instituti suffectura spes est. DEO sensuum datori & conservatori sit gloria, honor & gratiarum actio.

*Et sic est finis, sit laus & gloria Trinis.*

